

Leone X. Summo Pontifice, Carolo V. Imperatore, & Florentinis, eorum Duce Prospero Columna, a quo pariter anno insequenti apud Biccocam maxima cum eorum Gallorum occisione, & strage fugantur, & quassantur, qui oppidum Quadringenti penitus succedunt, & depopulantur, & ejus Ecclesias evertunt. Deinde Franciscus II. Sfortia Ducatum Mediolani adipiscitur. Eodem anno Pallavicinus Vicecomes Mediolanensis, Alexandrinusque Episcopus, cum in Francisci II. Mediolani Ducis necem conspirasse diceretur, carceri mancipatur a Prospero Columna jussu ejusdem Francisci Ducis, qui paullo post ab eo aufugit, & nonnulli amicorum detrusi in carcerem adhibita quaestione facti sunt in domo ipsius Antistitis conjurationem factam fuisse, neminemque ad perpetrandum tantum facinus Bonifacio fratre idoneum magis visum, in animoque habuisse post Principem, Moronum, ceterosque (4) ejus amicos obtruncare; sed cum res perageretur ante statutum diem multos conjuratos non adfuisse. Sed licet quidam hoc dixerint, tamen Bonifacius haud semel professus est, nemine hominum conscio, sed proprio motu id aggressum fuisse, quia Principem nosset in se male animatum fuisse.

(1) Rex MS.

(2) Militesque namque persuasi MS.

(3) Elevabant MS.

(4) Certosque MS.

MDXXII. Alexandria noctis tempore in festivitate s. Sebastiani per Cittadellam a Johanne Saffatello expugnatur, qui sub stipendio Francisci Ducis Mediolani militabat. Dum Civis longe animosius contendunt, quam par esset, & disciplina militari convenisset; ita cum hostes mixtim cum civibus introissent, passim praeda fit. Eodem anno pestis gravissima totum fere Mediolani dominium afflixit, & praecipue Alexandriam.

MDXXIII. Alphonfus Davalos cum Hispano peditatu Alexandriam e manibus Gallorum recuperat, quam saepe ab illorum manibus Vitellus Romanus, Adurnorum armis suffultus frustra aliquot menses recuperare tentaverat. Praerat tunc Boissius, qui *diffusus* (1) Urbem se posse tutari adversus peritissimum belli Ducem, strenuumque hostem, cum Ferdinando Davalo de ea restituta his conditionibus paciscitur, ut cum armis, ac rebus suis sine dolo, & fraude in Galliam abire liceret, quod postea integra fide praestitum fuit.

(1) Diffusus MS.

MDXXIV. Gallorum Franciscus Rex iterum maximo comparato exercitu in Italiam redire conatur, cum Caesarianorum res perculsas, viresque semifractas Marsiliensi expeditione male tentata videret; quod audiens Carolus Lancius Caesaris in Italia legatus, Alexandriam cum militibus, quos in Italia retinuerat, se recepit (1) audiens Regem jam Augustam Taurinorum cum copiarum parte adventisse, moxque Gallorum subsecutum exercitum ad Alexandriam properare, ubi a Caesarianis profligatur, maximamque cladem accipit; & hoc tempore in parte hac (2) Cispadana militibus, hospitatio-

nibus, exactionibus, & exagitationibus incolarum omnia ardebant, & miscebantur.

(1) Recessit MS.

(2) Pars haec MS.

MDXXV. Franciscus Gallorum Rex ad se vocavit duo mille pedites ex his, qui e Marsilia Savonam advenerant, & qui stipendia sub Rentio Ursino Ceretis Domino, & Michele Antonio Salutarum Marchione meruerant. Hi cum in territorium Alexandrinum pervenissent, ad Urbæ flumen Gaspar Mainus Praefectus civitatis, Ducis nomine, nec non & Bernardinus Cerretus militum Dux impiger hoc praesentientes, peditibus mille septemcentum praesidio munitus eis occurrit, quos statim dum defessi essent ex itinere, facili negotio devicit, & Castellatium aufugientes paullo post deditionem fecerunt, decem & septem militaribus signis hostium acceptis. Hic Gaspar Mainus vir fuit excelsi animi, in periculisque praesentaneis liberalis, & inter Duces sui temporis nemini fortasse secundus. Eodem anno die 24. februarii maximum praelium prope obsessam Ticinensem urbem inter Gallos, & eos, qui Carolo V. Caesari favabant, committitur; quo in praelio multi capiuntur, inter quos praecipue Franciscus I. Gallorum Rex. Interea Alexandria trepidatur.

MDXXVI. Die quinto mensis julii Dux Carolus Borbonius Hispaniam adveniens, Genuamque appulsus centum peditibus comitatus Alexandriam progreditur, & ab ea Viglevanum, ut quanto citius Mediolanum accederet, in itinere transvadato jam Ticino, obviam habuit Alphonsum Davalum Marchionem Vasti, Comitem Gajassi cum quatuorcentum equitibus catafractis, sexcentum velitibus, & summa cum benevolentia se complectuntur, ac Mediolanum omnes ingrediuntur.

MDXXVII. Calendis maii Philippus Caroli V. Imperatoris filius Catholicus Rex Hispaniarum oritur. Eodem anno die primo mensis augusti Odettus Lautrechus Gallus Boschum oppidum in Alexandrino agro situm obsidere tentat, adhibitis ad hoc Helvetiis, qui sub Francisco Gallorum Rege stipendia merebantur. Quo factum fuit, ut (1), Germanis, qui sub Comite Ludovico Lodrono militabant, & quos Boschum transmiserat ad pecuniam pro militum sumptibus a Boschenibus exigendam, viam redeundi Alexandriam praecloserit; & cum Boschenes in fide permanerent, intusque propugnantium numerus adesset, plures dies Gallum otiosum sub moenibus retinuerint; tandem vi tormentorum moenibus dejectis, oppidum capitur; hostiliterque incenduntur domus, & diripiuntur. Oppidani, qui in obsidionis initio fugae se non mandaverant, pecunia libertatem redimere coguntur; at Germani, qui primo impetu mortem evaserant, Gallicum stipendium sub Lautrecho accipiunt. Comiti Ludovico Lodrono uxor, & filii libere restituuntur per Lutrechum, quos in eadem obsidione ceperat. Eodem anno Odettus Lautrechus relicto Boscho Alexandriam adoritur cum octo milibus Helvetiis, decem mille Hispanis sub Petro Navarro, & tribus millibus Aquitanis, qui recen-ter in Italiam advenerant Duce Barone Bierna, &